



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

XI. Quid sit danegeldum, & qua occasione sit constitutum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

tur, quoniam denarius hic eleemosyna regis est : iustitia vero faciat denarium reddere, & forisfacturam episcopi & regis. Quod si quis plures domos habuerit, de illa ubi residens fuerit in festo apostolorum Petri & Pauli denarium reddat. XI.

Videtur hoc caput additum esse tempore Henrici II.

Ecclesia libera fuit a danegeldo vsque ad tempus Vvilielmi Rufi.

Danegeldi redditio propter piratas primitus statuta est : patriam enim infestantes, vastationi eius pro posse suo insistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam, statutum est danegeldum annuatim reddi, scilicet duodecim denarios de vnaquaque hida totius patriæ, ad conducendos eos qui piratarum irruptioni resistendo obuiarent. De hoc quoque danegeldo libera & quietata erat omnis ecclesia, & etiam omnis terra quæ in proprio dominio ecclesiæ erat ubicumque iacebat, nihil prorsus in hac tali redditione persoluens, quia magis in ecclesiæ confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus. Hanc itaque tenuit Anglorum ecclesia libertatem vsque ad tempora Vvilielmi regis iunioris, qui Rufus vocabatur : donec eodem a baronibus Angliæ auxilium requirente, ad Nortmanniam retinendam de Roberto fratre suo, cognomento Curtehorse, Ierusalem proficiscente, concessum est ei, non lege statutum tamen, neque firmatum, sed hac necessitatis causa, ex vnaquaque hida sibi dari quatuor solidos, ecclesia non excepta. Dum vero collectio census fieret, proclamabat sancta ecclesia suam reposcens libertatem, sed nihil profecit.

## XII.

Pax regis multiplex est : illa enim data manu sua, quam Angli vocant *cynniger bonde sealde grith* : alia, die quo primum coronatus est, quæ dies tenet octo : in natali Domini, dies octo : in paschate, dies octo : in pentecoste, dies octo, &c. *Infra*. Mambote vero ( id est compensatio domino persoluenda pro homine suo occiso ) Anglorum lege, regi, & archiepiscopo, tres marcas de hominibus eorum propriis : sed episcopo eiusdem comitatus, & consuli, & dapifero regis, viginti solidos, baronibus autem aliis, decem solidos, &c.

## XIII.

Thesauri de terra regis sunt, nisi in ecclesia vel in cœmeterio inueniantur : & licet ibi inueniatur, aurum regis